



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Vtrum Humanitas Christi sanctificetur sanctitate increatâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT IV.
DE SANCTITATE HUMANITATIS
CHRISTI.
CONTROVERSIA I.

Virum Humanitas Christi Sanctificetur Sanctitate Increata.

PAludanus & Marsilius apud Suarez d. 18. f. 1. videntur negativam tenuisse, dum asserunt, Christum eguisse Gratiâ accidentali, ut esset sanctus, adeoque non videntur in eo agnovisse sanctitatem substantialem, quæ illi tribueret effectum formalem Sancti, seu, *amabilis amicitia Dei*.

251. Dicendum tamen est cum indubitata hodie sententia, Humanitatem Christi fuisse substantialiter sanctificatam à sanctitate increata Verbi. Probatur 1. ex S. Scriptura in sensu Patrum accepta. Christus dicitur *Unctus*, Danielis 9. *Ungetur sanctus sanctorum*. per hanc unctionem vel unguentum intelligunt PP. divinitatem seu Verbum, ut longo ordine referunt Suarez & Vasquez, & præterea unguentum vocant sanctitatem seu amabilitatem illam, propter quàm Christus amatus est amore amicitia, conformiter S. Scriptura, quæ unctionem pro sanctitate usurpat. Concilium Florentinum in Decreto Unionis dicit, Humanitatem fuisse à Verbo Deificatam. *Deificari* autem minus esse non potest, quàm *Sanctificari*.

Probatur ratione 1. Gratia habitualis sanctificat & reddit amabilem Naturam, quia est participatio divinæ Naturæ: ergo multò magis sanctificabit Divinitas ipsa communicata.

252. Probatur 2. Per illud aliqua Natura cateroquin capax divinæ amicitia sanctificatur, per quod habet in se quandam repugnantiam stabilem seu habitualementem cum peccato mortali, Jus ad Visionem Beatam, Radicem Donorum & Habituum actuumque supernaturalium, Filiationem Dei, ac Denique amabilitatem amore amicitia divinæ, propter hæc enim Gratia habitualis dicitur *Sanctitas*. atqui hæc omnia excellentiore gradu præstantur à Verbo viato: ergo nihil deest illi ad communicandum effectum formalem sanctitatis & amicitia. Minor probabitur in progressu, nam vi Unionis hypostaticæ Humanitas Christi est impeccabilis etiam culpâ veniali, & ita quidem, ut non possit hanc unionem destruere, sicut potest purus homo destruere Gratiam sanctificantem: item dat Jus ad Beatitudinem: unde

Christus, etiam dum esset Viator, fuit comprehensor, hoc est, præditus Visione Beatæ: et super Radicem caterorum habituum supernaturalium, ipsiusque Gratiæ sanctificantis, non eodem, quasi Gratia hanc Radicem in subiecto agat, sed quod Unioni, tanquam supernaturali & substantiali, & communicationi summe potest ex summo amore & voluntate benefaciendi profectæ, debeatur. Constituit denique Christus non Filium adoptivum, sed Filium Naturæ, etiam ut hominem, adeoque objectum dignum amoris amicitia.

253. Ex hac certa sententia movetur difficultas non exigua. Non apparet, quid ratio possit divinitas tribuere effectum formalem Sancti, quin etiam tribuat effectum formalem Immensitatis, Æterni, Omnipotentis, Omnisij: quæ enim harum denominationum formam habet Humanitas Christi sibi unitam. Referam varias solutiones, quæ fortasse reipsum non differunt.

Imprimis quoad Intellectionem & Voluntatem divinam, quod non reddant Humanitatem formaliter intelligentem & volentem, facile additur ratio in illa philosophorum sententia, quæ ad hanc denominationem requirit, ut intellectus, si sit ab intelligente distinctus, Vitaliter ab illo procedat. Quæ sententia confirmatur auctoritate Agatonis Papæ, qui ex illa propositione S. Augustini: *Voluntas* (id est volitio) est *motus Naturæ*: definitur contra Monothelitas, non esse in Christo unam utriusque Naturæ voluntatem & operationem. imò nec esse posse, quia volitio divina non potest esse à Natura humana, nec contraria.

254. Quoad Immenfitatem & æternitatem Card. de Lugo inter has & sanctitatem dicitur disparitatem, quod Humanitas Christi sit substantialiter incompleta in ordine ad sanctitatem Verbi, non item in ordine ad ejus Immenfitatem, quod sic declarat. Personalitas Verbi est formissimè quid divinum: ergo cum humanitas sit incompleta substantialiter in ordine ad Personalitatem, & ex alia parte sit capax Sanctitatis, hæc

ipso est substantialiter incompleta etiam in ordine ad sanctitatem proveniente a Verbo: quia esse Sanctum aliud non est, quam habere in se aliquid divinum. Contra verò subsistentia Verbi non est formaliter Immenitas: ergo Humanitas nullo modo est incompleta in ordine ad effectum formalem Immenitatis, aternitatis.

Sed Contra. Quia Humanitas Christi non tantum sanctificatur à Personalitate Verbi, ut virtualiter distincta à Natura, sed etiam sanctificatur ab ipsa Natura, imò in multorum sententia ab hac sola: atqui ad hanc non est incompleta substantialiter humanitas. ergo potest humanitas accipere effectum formalem ab aliquo, in ordine ad quod non est incompleta substantialiter: ergo etiam poterit accipere effectum formalem Immenitatis, nisi aliud obstat.

255. Secunda explicatio est Card. Pallavicini c. 10. n. 162. ubi dicit, in hoc differre vbi-cationem Dei (idem est de reliquis attributis) ab vbi-catione creata, quòd Vbi-catio Dei existit in bonum sui, hoc est, non ordinatur in bonum alterius, sicut ordinantur formæ, atque adeo habet ex sua essentia vbi-care seipsam, & non aliud ens cui adveniat: quare quantumvis vniatur alteri, non tribuit illi hunc effectum formalem: at formæ seu accidentales seu substantiales incompletae, existunt vel in bonum alterius, ut accidentales, vel in ordine ad constituendum aliquod totum melius se solis, ut substantiales, ideo non possunt esse in aliquo subiecto, quin tribuant illi suam perfectionem.

256. Sed contra. Ex hac explicatione sequitur, Humanitatem non posse à Deo & Verbo accipere vllum effectum formalem *Subsistentis*, aut *Sancti*: ergo potius evertit Conclusionem quam defendat. Sequela probatur. Ideo per se non potest Humanitas accipere effectum formalem *Immensi*, quia Immenitas Dei est ens non ordinatum ad perfectionem alterius, sed tantum in bonum sui: atqui Verbum & Deitas in ratione subsistentiæ & Sanctitatis, est Ens in bonum sui, ut fatetur Pallavicinus: ergo non potest ut sic tribuere effectum formalem *Subsistentis* & *Sancti*.

257. Tertia explicatio & ratio discriminis inter effectum formalem *Sancti* & alios, traditur à P. Arriaga, qui imprimis distinguit inter effectus formales physicos, & effectus formales morales, qualis est effectus formalis *Sancti*, qui est in ordine ad aliquid extrinsecum, scilicet ad amorem amicitiae supernaturalis. Effectus formales morales possunt haberi tam à forma immediate vni-ta, quam etiam ab vni-ta tantum mediatè, unde humanitas sanctificatur & à Verbo, & à Deitate: nam ratione utriusque est amabilis, hoc ipso quòd in se habeat. Effectus formales physici non accipiuntur nisi à forma immediate vni-ta: tales sunt, esse omnipotentem, aeternum, omniscium: omnipotentia autem, &c. non vniuntur im-

mediatè humanitati, & ideo non tribuunt effectum formalem.

258. Hac explicatio nititur principio philosophico non admodum certo. Multi enim docent, etiam subiectum mediatum, nempe materiam primam, accipere effectum formalem *Vbi-cati*, ab Vbi-catione Quantitatis mediatè vni-ta. item in sententia quorundam Subsistentia non vni-tur immediatè Vni-ti inter materiam & formam, & tamen facit eam formaliter subsistentem. item in sententia Thomistarum, actus vitales intentionales recipiuntur in anima mediantibus potentijs, & tamen reddunt animam formaliter viventem. Habitus supernaturales secundum eosdem recipiuntur tantum mediatè in anima, & tamen reddunt animam formaliter potentem operari supernaturaliter.

259. Quarta Explicatio referri posset ex P. Esparza q. 27. §. vis huius: sed quia patitur quasdam replicas quibus occurrendum est, eam pluribus non referam, sed meum sensum aperiam.

DICO igitur, quòd Humanitas Christi habeat capacitatem ad effectum formalem *Subsistentis* & *Sancti*, seu amabilis amore amicitiae divinae, non item ad effectus formales aliorum attributorum, ut Omnipotentiae, Immenitatis, aternitatis, Sapientiae, de qua specialem rationem impli-cantiae jam antè dedimus.

Quòd natura humana sit capax effectus formalis *Subsistentis*, pater, quia est Substantia, & exigit subsistere: & quia subsistit per subsistentiam distinctam, potest hæc à Natura separari, & si suppleatur per alienam, subsistit in alieno supposito, & in hoc nulla apparet repugnantia. Nam subsistere in alio non est plus, sed potius minus quam siltere in se: ergo si rō siltere in se habetur per formam distinctam & separabilem, facile concipi potest, quā ratione per vni-onem alienæ Subsistentiæ conferatur effectus formalis *Subsistentis* in alio. Nulla igitur ratio est, quæ ostendat repugnantiam aut incapacitatem Naturæ humanæ in ordine ad istum effectum formalem. Vno verbo: capacitatem huius effectus formalis discimus ex Mysterio Incarnationis, & ad illum asserendum satis est, constare de hoc mysterio. Hoc totum procedit etiam de effectū formali *Sancti*, seu *amabilis*. Ex eodem enim Mysterio constat Verbum esse vni-tum Humanitati: atqui est impossibile esse vni-tum Verbum humanitati, & per hoc humanitatem non reddi amabilem, ut supra ostensum est: ergo supposito Mysterio non potest hic effectus formalis negari. Neque enim hinc sequitur, quòd Humanitas reddatur amabilis in eodem gradu, quo ipsa divinitas est propter se amabilis, quia propter identitatem habet Naturā divinā sibi communicatam Sanctitatem infinitam infinito modo, & communicatione infinita: at verò Humanitas habet Sanctitatem infinitam communicatam communicatione solum finitā, quæ communicatio licet non inducat humanitati meritum tanti amoris, quantum habet divinitas secundum se (hæc enim meretur

retur amari ut finis ultimus omnium rerum, non item humanitas) inducit tamen meritum maioris amoris, quam sit meritum cujuscunque sanctitatis creatae & accidentalis.

Jam verò, quod Humanitas non sit capax cæterorum effectuum formalium, ostenditur ex specialibus repugnantijs.

260. De Omnipotentia ostenditur hoc modo. Omnipotentia non potest naturæ humanæ tribuere hoc quod est: *posse producere omne producibile*: repugnat enim, quod possit producere se ipsam: ergo ut Omnipotentia tribueret humanitati aliquem effectum formalem, deberet tribuere potentiam limitatam: atqui hoc repugnat, ergo repugnat, quod humanitas recipiat vllum effectum formalem ab Omnipotentia. Minor probatur. Ut virtus aliqua per sui unionem tribuat mihi effectum formalem *Productivi*, non est satis, quod verum sit dicere, me unā cum illa virtute posse producere talem effectum: ego enim defacto possum cum omnipotentia Dei producere motum localem, & tamen hunc effectum formalem non tribuit mihi omnipotentia per unionem physicam sui: ut ergo mihi tribueret effectum formalem per unionem, quem sine unionem non potest tribuere, deberet me reddere productivum alicujus rei, cujus alioquin productivus cum illa non essem: hoc autem ex vi unionis aliter fieri non potest, quam ut ego respiciam ab actione pro priori Natura, à qua non respicerem, si Omnipotentia mihi non esset unita: adeoque ex vi unionis deberem præsupponi ad actionem ad quam alioquin non præsupponerem: atqui hoc repugnat fieri per unionem omnipotentia: ergo &c. probo subsumptum. Ut unio alicujus virtutis hoc efficiat, ut quis dicatur per illam tanquam per medium operari, debet subjectum unionis non solum præsupponi ad ipsam unionem, sed etiam ad ipsam virtutem: v.g. si in me existeret impulsus cauſans aliquem motum, ego non essem movens, si non essem prior naturā ad ipsum impulsus: atqui repugnat, quod humanitas Christi sit prior naturā ad omnipotentiam Dei: ergo repugnat quod ab ea per unionem accipiat effectum formalem *Productivi* alicujus, cujus non est productiva cum omnipotentia non unita.

261. Confirmatur amplius. Si per unionem communicaret Omnipotentia effectum formalem *Productivi*, utique non communicaret nisi cum subordinatione ad Voluntatem, alioquin necessarium produceret omne producibile, quod est impossibile: atqui non potest cum tali subordinatione communicari omnipotentia præcisè per sui unionem, quia non potest voluntas determinare potentiam adequatè distinctam, & à se penitus independentem, si illa potentia est causā adequata effectus: sicut in casu nostro esset omnipotentia: determinatio enim est actio immediata procedens à causā determinante. Est ergo

specialis Repugnantia in Omnipotentia; quod erat probandum.

262. Immenſitatis effectus formalis est non hoc ipso communicatur Humanitati, quod illi sit unita. Nam quando una entitas essentialiter definitivè unitur alteri, non hoc modo vi talis unionis debet alterum existeri in toto spatio totaliter, sed satis est, existeri in aliqua parte spatij, ut patet in homine, cujus pes est unitus animæ, neque tamen existit pes ubique: quod existit anima: ergo eodem modo non hoc ipso quod humanitas unitur Immenſitati, existit ubique Immenſitas existit: ergo necesse est determinari per aliquid superadditum, ut coeſcit Immenſitati potius in hoc, quam in alio spatio: ergo ab hoc superaddito, utpote ultimā determinatione formali, accipiet Humanitas effectum formalem *vbicari*: ergo etiam si possibilibus esset unio creata essentialiter immensa, & per hanc determinaretur humanitas ad coeſtendum Immenſitati ubique, non propterea haberet hunc effectum formalem ab ipsa Immenſitate formaliter, sed ab illa entitate creata: ergo Immenſitas non potest per se formaliter communicare lumen effectum formalem, nec adequatè nec inadæquatè.

Quoad effectum formalem *Aternitatis* est expedita. Si enim æternitas nunc in tempore unita humanitati tribueret illi effectum formalem *aterni*, verificarentur contradictoria, nempe quod fuisset, & non fuisset tempore Adam. Non fuisset, quia defacto incepit esse in vtero Virginis: fuisset, quia fuisset ab æterno.

CONTROVERSIA II.

Utrum tam Divinitas quam Personalitas, atque etiam ipsa Unio sanctificent Humanitatem.

263. **D**ICO 1. Divinitas prout virtualiter distincta à Personalitate Verbi, sanctificat Humanitatem. Probatur assertio auctoritate scripturæ, dicentium, Unionem Humanitatis esse ipsam Divinitatem, & Humanitatem esse Divinitate delibutam, esse Deificatam. Deificati autem & Sanctificati sunt idem.

Confirmatur. Si quid obſtaret, id est, quod Divinitas tantum unitur mediata: atqui ad effectum formalem morale *Sancti*, hoc est, ad movendum amorem extrinsecum, non requiritur Unio immediata. Ratio à priori est, quia ratione Divinitatis unita Humanitas est amabilis magis, quam propter Gratiam sanctificantem habitualem, quæ tantum est quædam participatio accidentaliter Divinitatis: & quidem in multo Sententia Gratia non distinguitur à Charitate, precipiturque tantum mediata in anima, mediante scilicet Voluntate, quam volunt esse potentiam distinctam ab anima: & tamen intelligitur sanctificare; ergo multo magis poterit divinitas, cum